



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio II. Vtrum per rationem naturalem euidenter positue cognosci possit
mysterium Trinitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

SECTIO II.

Utrum per rationem naturalem euidenter possit cognosci possit mysterium Trinitatis.

Quæst. 32. art. 1.

Dupliciter per rationem naturalem Trinitas personarum diuinarum cognosci potest. Primò seclusà omni reuelatione. Secundò supposità reuelatione supernaturali, de vtraque cognitione difficultas est inter Doctores, vtrum Trinitas possit probari vel demonstratiuè, vel probabiliter, vel saltem dubitatiuè.

S. I.

Utrum Trinitas personarum diuinarum euidenter possit probari sublatà reuelatione.

Ratio dubitandi primò est, quia probari videtur pluralitas personarum in Deo ex eius infinitate, ac bonitate; sic enim argumentabatur celebris ille notissimisque Remundus Lullus, illud quod est summè, ac infinitè bonum, est summè ac infinitè communicabile, sed Deus naturaliter cognoscitur esse summum ac infinitum bonum, ergo summè ac infinitè debet comunicari, sed extra se ipse summè ac infinitè non potest comunicari, ergo ad intra debet eo modo infinitè comunicari & per processionem Dei à Deo; ergo necessaria est pluralitas personarum, quæ sanè non potest esse nisi in vnitatem naturæ, quia plures esse non possunt Dij, ergo in Deo est vnitas & pluralitas.

Ex natura bonitatis.

Secundò, ex ratione intellectionis, & volitionis, idem concludi potest; vbi enim sunt duæ illæ operationes immanentes, ibi debet esse terminus intellectionis, quod est Verbum, & terminus volitionis qui est Amor, in Deo cognoscitur naturaliter esse actiones immanentes intellectionem, & volitionem, ergo in Deo est Verbum & amor.

Ex natura intellectionis.

Tertiò, cognito euidenter effectu, cognoscitur euidenter illud quod est eius principium, sed euidenter cognoscitur effectus trium personarum diuinarum, propterea effectus personarum diuinarum, quod probat, quia principium creatiuum essentialiter est in tribus personis, ergo cognitis effectibus præsertim quidditatiuè ac comprehensiuè cognoscitur principium propter existens in tribus personis.

Ex ratione causæ.

Quartò, ex ratione beatitudinis & ex ratione amoris efficaciter argumentatur Richardus Victorinus lib. 3. de Trinit. cap. 2. naturaliter cognoscitur Deum esse summè beatum, sed felicitas esse non potest vnus solitarij; exigit enim consortium, ergo consortem habere debet: non alium Deum, ergo aliam tantum personam diuinam. Similiter vbi est summa bonitas, ibi est & charitas, quæ necessariò est ad alterum, & summa charitas non est nisi erga summè bonum, in Deo est summa bonitas, ergo summa charitas, quæ sit erga alium summè bonum, ergo in Deo est persona summè bona quæ diligit, & alia summè bona quæ diligitur, ergo illæ personæ sunt Deus. Denique probatur ex ratione amoris esse debere tres personas, quia diligens vult etiam personam dilectam ab alia diligere æqualiter, ergo perfecta charitas est inter tres. Imò perfectus amor debet esse gratuitus qualis est in Patre, debitus, & gratuitus vt in Filio, debitus tantum vt in Spiritu Sancto.

Ex ratione beatitudinis.

Dico primò, nulla ratio naturalis probat seclusà reuelatione, quod sit mysterium Trinitatis vel demonstratiuè, vel probabiliter, vel etiam dubitatiuè. Ita omnes Catholici Doctores communiter contra Lullum quem propterea damnatum esse à Gregorio XI. refert Emericus in directorio.

Conclusio negatiua.

Primò enim, sic colligitur ex Scripturis, verbi gratia, Matth. 11. *Nemo nouit Patrem nisi Filius, neque Filius*

Filius

& tandem dicitur ibi quod Dominus pluit ignem à Domino, quibus ex locis argumentatur Alexander Primus epist. 1. Hilar. lib. 4. de Trinit. August. lib. 2. de Trinit. cap. 11. & 12. Tertius locus Plalmo 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*, vbi significatam esse Trinitatem probant Concilium Nicænum supra Nazianz. orat. 44. Basil. homil. 17. in sanctum Baptisma. Quartus locus Prouerb. 30. *Quis ascendit in cælum, atque descendit, (en Verbum incarnatum) Quis? continuit spiritum in manibus suis* (vel vt habent 70. in sinu suo) *quod? nomen eius, aut quod nomen filij eius si nosti*. In Hebræo habetur, *nota bene*. Quintus & palmaris locus est Triasgion illud sollempne Seraphinorum ante thronum adstantium nec cessantium clamare die ac nocte, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. De quo eleganter differunt Nazianz. orat. 38. Epiph. in Anchorato, Ambros. lib. 2. de fide cap. 4. Denique sextus locus apud eundem Isaiam cap. 48. *Ex tempore antequam fieret ibi eram, & nunc Dominus misit me & spiritus eius: vbi tres diuinas personas demonstrant Hieronym. in eum locum, Chrysost. ferm. de Trinitate. Athanas. Epist. 2. ad Serapionem. Alia plurima loca dabunt ex notis, & obseruationibus Hebraicis, Galati. toto lib. 2. Marfilii lib. de Relig. Christian. & ex illis Vasq. disp. 108.*

Contra Hæreticos.

Tertiò, aduersus Hæreticos præter citata loca Veteris Testamenti, adducuntur etiam ex nouo plurima, quæ aperte probant trium vnitatem in Deo. Primus Matth. ult. *Baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: quem accurate ponderant Clemens Romanus lib. 3. Constitutionum cap. 17. Alexander I. Epist. 1. Secundus locus habetur 1. Ioann. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*. Quo testimonio vtuntur Athanas. epist. 2. Ad Serapionem August. lib. 4. de Trinit. c. 21. Tertius locus Ioann. 5. *Alius est qui testimonium perhibet de me, alium paraclitum dabit vobis*. Proferri præterea possunt Concilia omnia, & omnes Patres qui vna voce profitentur & probant indiuisam diuinitatem vnus in Trinitate substantiæ, & vt loquitur Cyrillus *Essentie diuine dilatactionem in Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum*. Et demum ratio est quia Pater producit Filium, alioqui non est Pater; Pater & Filius producent Spiritum sanctum, ergo inter eos distinctio est. Nam vbi est productio, ibi est etiam relatio, & oppositio. Quæ autem afferebant Sabelliani ex variis, & malè intellectis Scripturis, probant tantum vnitatem essentie diuinæ, quam nos etiam profiteamur, alia verò argumenta soluentur quæst. 3.

Consubstancialitas.

Dico secundò, tres personæ diuinæ ita sunt consubstantiales, & inter se omnino æquales, vt omnes sint Deus & vnus Deus. Hac etiam certa & indubitata est apud omnes Orthodoxos veritas, quam probant primò, ea omnia scripturarum, Conciliorum, & Patrum testimonia, quibus aduersus Arianos, & Macedonianos demonstratur diuinitas Filij, & Spiritus Sancti, quæ afferentur quæst. 3. Deinde quod illæ sint vnus Deus probatur ex vnitatem numerica diuinæ naturæ quæ vt aqua eadem ex fonte manat in fluium, sic à Patre derivatur in Filium, vt loquitur Athanas. in expositione fidei; Nam *Qui dedit omnia Filio Pater* (inquit idem orat. 4.) *rursus omnia hæc habet, quippe diuinitas Filij, Patris est diuinitas*. Et Nazianz. orat. 37. *Indiuidua in indiuiduis est diuinitas, ac velut in tribus solibus vna lucis est temperatio*.

His ex fide ita suppositis, venio ad rationem naturalem & inquiri quid illa lucis afferre possit ad declarandam huius mysterij existentiam.

Filium quis novit nisi Pater. Ex quo loco argumentatur Concil. Nicanum lib. 2. Clemens Romanus Epistola ad Iacobum Fratrem Domini, Concilium Anthiochenum primum, in professione fidei, vide Ruiz disput. 41. sect. 3.

Secundò, idem sæpè profitentur Sancti Patres, Dionysius: *Secretam esse Trinitatem ad quam aditus nullo modo pateat.* Ambrosius: *esse impossibile generationis scire secretum.* Augustinus: *Trinitas tua vni tibi nota qua superat omnem sensum, usurpâque ad id illas Prophetæ voces si non credideritis non intelligetis.*

Tertiò, ratio S. Thom. facilis est, quia Deum non cognoscimus nisi per viam creaturarum cum quibus Deus habet connexionem, sed per creaturas innoscere nobis Trinitas nõ potest, quia creaturæ non pendent à Deo ut Trino, sunt enim per intellectum voluntatem, & omnipotentiam communes tribus personis, ergo per vires naturæ non possumus probare Trinitatem. Deinde illud mysterium naturaliter cognosci à nobis non potest, quod quilibet intellectus naturaliter iudicaret implicare contradictionem, sed mysterium Trinitatis huiusmodi est, quia illud ab intellectu naturæ solum lumine illustrato iudicaretur repugnare principiis illis notissimis, quibus scientiæ omnes, ac discursus nituntur, cuiusmodi sunt [dici de omni, & dici de nullo, [quodlibet est aut non est, [quæ sunt eadè vni tertio sunt eadem inter se] ergo illud mysterium naturaliter cognosci non potest etiã dubitatiuè.

Rationes
Lulli sol-
uuntur.

Denique rationes quibus aliqui præsertim Lullus in libro quem vocat Apotrophen putant se demonstrare Trinitatem aniles fabulæ sunt; Primò enim supponunt pluralitatem personarum quam conantur probare, deinde quædam ex illis fidei repugnant, postremò nihil probant. Verbi gratia, probat tres esse personas in Deo, quia (inquit) vbicunque est concordia, & æqualitas ibi est pluralitas, in Deo est concordia, & æqualitas, bonificatiui, & bonificabilis in actu bonificandi, ergo est in Deo pluralitas personarum, probatur minor vbi est actus, ibi est concordia agendi, in Deo est actus bonificatiuus, ergo est concordia, & æqualitas bonificatiui, & bonificabilis. Hoc inquam quis non videt supponere quod in Deo sit actus ad intra bonificans, & produciens, Deinde supponit productionem esse bonificationem seu processionem per voluntatem, quod fieri repugnat. Probat etiam idem auctor esse tres personas, quia illa essentia quæ est in maiori parte actionis (id est quæ perfectissimè agit.) Non requirit nisi vnicam actionem bonificatiuam, vnam passionem bonificabilem, vnicum actum bonificare; si enim essent plures vna limitaret aliam, sed Deus est in maiori parte actionis, ergo, &c. Denique probat illas personas esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: quia illud omne Deo concedi debet, per quod bonificatiuum est, in maiori parte actionis, bonificabile in maiori parte passionis, & bonificare in maiori parte actus (id est perfectissimus modus operandi tribui Deo debet) sed esse patrem, & Filium & Spiritum Sanctum huiusmodi est, ergo, &c. quæ omnia sunt ut vides mera somnia.

Solutio
quatuor
dubitatio-
num.

Ad primam Resp. disting. primam maiorem illud quod est summè ac infinitè bonum, est summè, ac infinitè communicabile, Syncategorematicè ita ut semper magis possit communicari concedo, Categorematicè ita ut possit habere simul communicationem sibi omnino adæquatam nego. Ita enim responderi solet argumento quo probatur possibilitas infiniti ex possibilitate omnipotentia.

Ad secundam, Resp. distinguendo etiam maiorem vbi est intellectio, & volitio quæ sunt actiones immanentes, veram habentes rationem actionis, ibi est terminus, concedo: vbi sunt intellectio, & vo-

Tom. I.

litio quæ non sunt actiones sed substantiæ, nego. Naturaliter cognoscitur esse in Deo intellectioem & volitionem quæ sint substantiæ non cognoscitur quod veram habeant rationem productionis.

Ad tertiam Resp. cognito effectu cognosci euidenter principium secundum rationem principij omnino distinctè, secundum rationem autem suppositi confusè tantum: quamvis ergo principium creatiuum, essentialiter sit in tribus personis, non cognoscitur tamen distinctè prout existens in tribus personis quia non est principium, prout existens in tribus personis.

Ad quartam Resp. negari posse quod ad perfectam felicitatem entis infinitè perfecti requiratur consortium; Deus enim sibi planè sufficit, cum ut ait Minucius in Octauio, *Sic ipse sibi pro mundo.* Negari deinde potest quod vbi est summa bonitas, ibi sit charitas veram habens rationem amicitia; sufficit enim amor infinitus quem Deus erga se habet. Quod de Philosophis obiici potest quibus mysterium Trinitatis cognitum fuit statim dissoluetur.

S. II.

An & quomodo supposita reuelatione possit euidenter mysterium Trinitatis cognosci.

Ratio dubit. primò est, quia quoties medium est inenitens cognitio est obscura, sed reuelatio est medium inenitens, ergo per illam nulla potest haberi cognitio mysterij Trinitatis nisi omnino inenitens etiam per effectus supernaturales.

Triple
dubitatio.

Secundò, si aliquis comprehenderet actum fidei naturalem, actu naturali cognosceret euidenter Trinitatem, ergo potest cognosci euidenter Trinitas per effectum aliquem naturalem.

Tertiò, tam multæ in natura sunt imagines Trinitatis ut illam Ethnici plures Philosophi euidenter cognouisse videantur ut Plato, Trimegistus, & alij quorum testimonia clara sunt.

Dico secundò, supposita reuelatione potest euidenter cognosci & probari mysterium Trinitatis per effectus aliquos supernaturales: per effectus autem purè naturales non potest euidenter demonstrari, sed probabiliter duntaxat suaderi, & explicari.

Assertio.

Prima pars, de cognitione per effectus supernaturales probatur contra Valquem, quia si quis euidenter, verbi gratia, cognosceret reuelari sibi à Deo mysterium Trinitatis, ille ita euidenter cognosceret Deum esse trinum ut non posset illud negare: similiter si quis vnionem hypostaticam vnam aut plures cognosceret, ad tres personas Trinitatis, cognosceret etiam euidenter tres illas personas, quia vna vnio non potest cognosci ut differt ab alia, quin cognoscatur vna persona ut differt ab alia, denique si quis comprehenderet actum fidei terminatum ad tres personas cognosceret etiam tres personas, ergo patet quod supposita reuelatione potest cognosci euidenter mysterium Trinitatis.

Effectus
supernatu-
rales.

Secunda pars, de cognitione per effectus purè naturales: negatur à Richardo Victorino, Hugone Victorino, Aureolo, & Gersono, probatur autem, quia si non potest efficere reuelatio, ut effectus purè naturales, & sensibiles habeant necessariam connexionem cum Trinitate, supposita reuelatione non potest euidenter cognosci per eos effectus mysterium Trinitatis, sed reuelatio efficere non potest ut effectus purè naturales habeant connexionem cum Trinitate, ergo per eos effectus non potest Trinitas cognosci.

Effectus
naturales.

Tertia pars, quod suaderi tamen, & explicari probabiliter possit mysterium Trinitatis, per huiusmodi

Y. di

di effectus, quos cernimus in natura, constans omnium Patrum; & Theologorum assertio est, qui eo in argumento mirabiliter exultant; quia scilicet multæ vndique se oculis nostris obijciunt rerum naturalium imagines, in quibus picta quodammodo est Sancta Trinitas, eo quod cluceat in ijs vnitas cum pluralitate, tamen rectè monent Nazianzen. orat. 37. Nyssenus l. de differentia essentia, & hypostaseos, *ita reperiri ductus quosdam & veluti radios similitudinis inter effectus huiusmodi & Dei Trinitatem, ut infinita tamen semper sit distantia & dissimilitudo.*

Cælum & elementa.

Primo ergo, in ipsomet Sole imaginem expressam Trinitatis inueniunt Absana. in questionibus, quæst. 4. Nazianzen. orat. 45. eo quod vnum illud sit sydus, in quo tria tamen distincta sint, orbis solaris, radius, & lumen. Aliter autem Epiphani. in Anchorato conijcit ex Sole Trinitatem; videtur enim exemplo solis qui per vitreum vas aqua plenum refractus subiectam accendit stuppam, vbi trium personarum dinarum character expressè cernitur.

Secundo, in elemento ignis multipliciter etiam designatam esse inueniunt Trinitatem Athanasius ibidem, & Damascenus lib. 1. cap. 9. eo quod in eo sit ignis ipse, lux, & calor. Caloris (inquit Cyrillus) principium ignis est, & tamen in ipso, & ex ipso inseparabiliter calor est. Addit Epiphanius quod ignis natura plures lucernas accendit ex vna, & quæ prima est non minuitur.

Tertio, in elemento aeris itidem pinxit Deus, vt eo veluti triumphali curru inuecta Trinitas cerneatur, nam in ea flores colorum omnino tres, vnicum tamen sunt lumen inquit Basilus epistola 43. miraturque idem Nyssenus supra.

Quarto, in elemento aquæ, fons efficit fluuium & riuum, quasi triplex aqua, & tamen vnica. Vt explicant Concil. Nicenum lib. 2. Athanas. orat. 4. contra Arianos, Tertullianus contra Praxeam cap. 8.

Quinto, in elemento terræ arbor vnitatem habet in Trinitate, quod in ea sit radix, truncus, & rami, vt expendunt Tertull. ibidem, & Augustin. lib. de fide & symbolo c. 9.

In homine.

Sexto, in homine præsertim variè depinxit, ac expressit sancta Trinitas se ipsam, vt propterea merito creationem eius designans, symbolum suum conferre voluerint singulæ personæ, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram (Trinitatis totius videlicet) alioqui frustra dixisset (nostram.) Et sanè vt de corpore taceam in quo rudi quodam monocromate picta est trium vnitas: cum in eo sit caput, brachium, digitus, at in anima plures Trinitatis imagines inueniunt merito sancti Patres: v. gr. Concilium Nicenum, Athanasius & Nazianz. quia in ea est anima, verbum, & respiratio seu spiritus; qui enim loquitur in verbo quod loquitur, proflat necessariò se ipsum. Deinde in ipsa est substantia, ratio, & volitio, vt expendit Nyssenus epist. ad Apollinarem. Denique in ea est scientia interna, verbum, & amorem generans, vt fusè differit August. lib. 15. de Trinit. c. 6. 11. 13. & seq.

In qualibet creatura.

Septimo, in qualibet creatura vestigium multiplex Trinitatis inspicere docent Patres, eo quod nulla sit in qua vnitatem cum Trinitate inspicere non liceat. Prima est modus, species, & ordo. Secunda, origo, pulchritudo, delectatio: postremo essentia, virtus, operatio. Vide Ruiz. disp. 44.

Deinde suadent idem variæ congruentiæ. Prima, quod fecunditas perfectio maxima sit, quæ si est possibilis, Deo negari nullo modo debet. Secunda, est perfectio felicitatis & amoris; videbitur enim maior si consortem naturæ habeat. Tertia est intellectus, & voluntatis etiam in nobis fecunditas. Quæ omnia

vt vides suadent, explicant, declarant probabiliter obscurissimum hoc mysterium supposita illius fide, sed ab euidencia longissimè sanè distant.

Ad primam Resp. cognitionem quæ nititur reuelatione inevidenter cognita, esse semper inevidentem, si autem præsupponat reuelationem euidenter cognitam, v. gr. si quis euidenter cognosceret sibi Trinitatem reuelari euidenter, certè illa cognitio esset euidens, quamuis esset per medium extrinsecum.

Ad secundam Resp. loquutum me semper esse de effectu purè naturali, ex quo negari posse cognosci Trinitatem euidenter: Actus verò fidei naturalis habens pro motiuo saltem remoto reuelationem, non esset effectus purè naturalis cuius motiuum non debet esse reuelatio.

Ad tertiam Resp. negari non posse quin plures olim è sapientibus aliquam Trinitatis habuerint notitiam, vt docent Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromatum. Iustinus orat. ad gentes, & latè referunt Eugubinus, Valsques, & Ruiz, v. gr. clarum est ac celebre dictum illud à Trismegisto, *Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem.* De Platone ac oraculo Delphico multa prodit idem Eugubinus, & ex eo Valsq. disp. 132. Deinde tamen certum est, omnem huiusmodi sapientum cognitionem fuisse imperfectissimam, & infinitis erroribus admixtam. v. g. Plato de Trinit. loquens, somnia plura posuit, vt mericò prodromus dicatur fuisse Arianorum, vt latè refert Petauus lib. 1. c. 1. ponebat videlicet ille tres Deos, Bonum, Ideam, Animam, vel etiam summum Deum, Demiurgum, & animam, sed duos posteriores verè creatos esse, ac primo illo longè inferiores, ex qua opinione innumera orta sunt Hæresum monstra. Tertio ergo, discere illa quasi per caliginem potuerunt, ex oraculis gentium, ex scriptis sybillinis, & ex lectione scripturarum.

SECTIO III.

Utrum euidenter negatiuè probari possit existentia Trinitatis.

PRobare Trinitatem euidenter negatiuè, non est aliud (vt dixi) quàm euidenter soluere argumenta omnia, quibus probari possèt illam esse impossibilem. Quia verò innumera ferè illa sunt, quæ aduersus hoc mysterium possunt opponi, & pertinent ad ea quæ inferiùs disputari debent, ea solùm atringam hoc loco, quæ magis directè ostendunt non esse in Deo tres distinctas personas identificatas realiter, eidem indiuisibili naturæ: *Hoc enim* (inquit Hilar. lib. 8. de Trinit.) *Ecclesia intelligit, hoc synagoga non credit, hoc philosophia non sapit, vnum ex vno, & totum à toto Deum, & filium, neque per naturam patri admissè quod totus est, neque hoc ipsum totum non secum nascendo tenuisse.*

Ratio enim dubitandi videtur esse, quia mysterium Trinitatis in hoc totum consistit, quod eadem essentia diuina simplicissima & vnica sit perfectè identificata paternitati, filiationi, spirationi passiuæ sine distinctione reali ab his tribus, quæ inter se tamen realiter sint plura & distincta.

Hoc autem statim videtur repugnare lumini rationis tripliciter. Primo, quia repugnat principiis metaphysicis vniuersalissimis, & notissimis, *impossibile est aliquid esse simul & non esse: quodlibet est vel non est.* Secundo, quod repugnet principiis syllogisticis receptissimis: *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se: dici de omni & dici de nullo.* Tertio, quod repugnet prædicatis Deo proprijs, & ea destruat, vnitatem, & affectatam, &c.

Euidenter negatiuè.

Repugnare videtur ex triplici capite.